

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Philosophia g  
cum fontibus proximo et primis

In philosophis enim fuit uenerabilis ymago  
uirtutis, dum sine fide et dilectione substancia uirtutis  
esse non possit. Et utinam, inquit, inueniatur in nobis  
qui uirtutis ymaginem teneat.

Quis enim umbras uirtutum induit  
quibus uidemus floruisse gentiles?

Quis enim Themestodis diligenciam, Frontonis grauitatem,  
Socratis continenciam, Fabricii fidem,  
pudicitiam Cipionis, longanimitatem Vlixis,  
Catonis pietatem imitatur, qui

quasi quedam seculorum suorum  
sidera splenduerunt, tempora sua illustrantes?  
Sed

quia Christum non cognouerunt,  
euanuerunt in cogitationibus suis superbia tumescentes, uera  
humilitate carentes, humanam gloriam appetentes,  
et seipsos esse sapientes estimantes et dicentes: Stulti facti  
sunt, Romanos I.

Hugo ibidem (in didascalicon libro III.).

Et de hoc habetur in Policrato lib. 3. cap. 9. qui, bene loquens  
de philosophis, ait, quod in eis venerabilis tantum imago  
virtutis fuerit, dum sine fide, et dilectione substantia virtutis  
esse non possit: et utinam, inquit, inueniatur in nobis,  
qui vel virtutis imaginem teneat.

Quis enim virtutem amplectitur ipsam?  
Quis etiam umbras uirtutum induit,  
quibus videmus floruisse gentiles,  
licet eis, subtracto Christo,  
verae beatitudinis non apprehenderint fructum?  
Quis Themistoclis diligentiam, Frontonis grauitatem,  
continentiam Socratis, Fabricii fidem, innocentiam Numae,  
pudicitiam Scipionis, longanimitatem Vlissis,  
Catonis parcitatem, Titi pietatem imitatur? quis  
non cum admiratione veneratur?  
Porro praedicti,  
et similes magni quidem, et laudabiles viri,  
quasi quaedam saeculorum suorum  
sidera splenduerunt, illustrantes tempora sua.  
Et licet tales fuerint,

quia Dominum Iesum Christum non cognouerunt, sed  
evanuerunt in cogitationibus suis, et superbia tumentes, vera  
humilitate carentes, humanam gloriam appetentes,  
et dicentes seipsos esse sapientes,  
stulti facti sunt Rom. I. ...

Iohannes Gallensis, *Compendiloquium*, 2.2.2 (Rome, 1655,  
pp.77-8). [cf. Rom. 1:21-22]

Sit ergo venerabilis imago  
uirtutis, dum sine fide et dilectione substantia uirtutis  
esse non possit. Et utinam inueniatur in nobis,  
qui uel uirtutis imaginem teneat.

Quis enim uirtutem amplectitur ipsam?  
Quis etiam umbras uirtutum induit  
quibus uidemus floruisse gentiles,  
licet eis subtracto Christo  
verae beatitudinis non apprehenderint fructum?  
Quis Themistoclis diligentiam, Frontonis grauitatem,  
continentiam Socratis, Fabricii fidem, innocentiam Numae,  
pudicitiam Scipionis, longanimitatem Vlyxis,  
Catonis parcitatem, Titi pietatem imitatur? quis  
non cum admiratione ueneratur?  
Probitas siquidem laudatur et alget. Porro praedicti  
et consimiles, magni quidem et laudabiles uiri,  
quasi quaedam saeculorum suorum  
sidera splenduerunt, illustrantes tempora sua,....

Iohannes Sarisberiensis, *Policraticus*, 3.9 (CCCM 118,  
K.S.B. Keats-Rohan ed., pp.197-8, ll.39-53).

quia Dominum Iesum Christum non cognouerunt, sed  
evanuerunt in cogitationibus suis, et superbia tumentes, vera  
humilitate carentes, humanam gloriam appetentes,  
et dicentes seipsos esse sapientes,  
stulti facti sunt Rom. I. ...

Iohannes Gallensis, *Compendiloquium*, 2.2.2 (Rome, 1655,  
p.78). [cf. Rom. 1:21-22]